




MicroChamber ©
Beschermd
KB



DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
BENEFICIO COMPETENTIÆ.

QUAM,

PRÆSIDE DEO TER. OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. WOLFERDI SENGUERDII, L. A.M.
Phil. & J. U. Doct. illiusque in Illustri Academiâ
Lugd.-Bat. Profess. ordinarii, celeberrimi, &c,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,


Summisque in Jure utroque Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

JOHANNES van OVERMEER, LUGD.-BAT.

Ad diem 6 Decemb. horâ locoque solitis.





LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXV.

DEO

TER. OPT. MAX.

PATRI

AMICIS ET PRÆCEP-
TORIBUS

SACRUM FACIT.

AUCTOR.




DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

DE

BENEFICIO COMPETENTIÆ.

CAPUT I.



Nullus momenti essent omnia judicia, si ad debitorum obæratorum executionem nos non perducerent, permitterentque nobis omnia ab ipsis exigere, donec satisfactum fuerit: ita quidem ut ne denarium ipsis relinquere teneamur, teste *Gomes. lib. 2. variar. res. 11. n. 51.* Verum hæc rigida exactio in quibusdam personis est mitigata, tam legibus, constitutionibus, quam edicto prætoris, quibus beneficium competentiæ est introductum, de quo non nulla dispu-

tare

tare institui, explicaturus, quale sit hoc beneficium, quibus detur, quo effectu, & denique quibus casibus cesset.

Beneficium itaque competentiæ est, *quo quis munitus condemnari nequit ultra vires patrimonii, sed tantum in id quod facere potest, ita ut retineat aliquid ne egeat.*

Dico *in id quod facere potest.* Intellige non quatenus naturaliter potest præstare: sed quatenus civiliter potest facere, absque extremo videlicet incommodo, fac. *l.* 125. *d. verb. signif.* facere autem ut aliquis possit, non requiritur præcise, ut sufficientem habeat quantitatem pecuniæ numeratæ: sufficit eum habere, quod satis est in actionibus & nominibus *l.* 49. *§.* 1. *d. verb. sig.*

Ita ut retineat aliquid ne egeat, retinendum itaque est, quantum ad victum & alimenta est necessarium, quod quantum sit leges cum ipsæ id determinare nequeant ob circumstantiarum varietatem, arbitrio judicis relinquunt. Videndum enim cujus quis sit conditionis, ætatis, dignitatis; *v. c.* vilis & abjecta persona sit debitoris, vel etiam quæ manibus victum queat lucrari, an splendida: juvenis; an senex *Duar. ad l.* 12. *ff. sol. matr.* Ratio enim personarum habenda est, ne pro personæ suæ qualitate egeant *l.* 19. *in fine ff. d. re jud. l.* 30. *eodem l.* 5. §. 7. *ff d. agnosc. & alend. liberis l.* 173. *d. reg. jur.* lautioribus enim cibis nobilem, quam rusticum vesci oportet, & alius illi, quam huic cultus corporis convenit, de quo *vid. Adamant. Dionys. de divis. act. q.* 4. *Tiraquell. de Nobil. cap.* 20. *n.* 143. *& seq.*

CAPUT II.

Tribuitur hoc beneficium *parentibus l.* 16. *d. re jud.* gratitudo enim, quam liberi parentibus debent, non patitur, liberos parentibus, quos egentes ipsi alere coguntur, extorquere id, quod ipsis ad alimenta est necessarium.

Liberis l. 30. *ff. d. re jud. l.* 18. *ff. sol. matr.* Necessitas enim na-

naturalis postulat, ut quod quisque procreavit, quantum in ipso est tueatur *Cic. lib. 1. d. offic. cap.* 4.; ab his itaque rigida extorsio plane est aliena.

Tribuitur & *fratribus*, quod clare liquet ex *arg. l.* 63. *ff. pro socio.* Nam si socio ob imaginem fraternitatis hoc jus tribuatur, an non veris fratribus idem erit concedendum? Nec ego tam ineptos audeo fingere juris conditores, ut ejusmodi rationes adducerent, inquibus non idem, quod probare volunt obtinere censerent, vidend. *Duar. in prælect.* 23. *ad tit. ff. d. re jud.*

Tribuitur etiam *Marito* convento ad restitutionem dotis à muliere. Ei enim quoque reverentiam debet Uxor, cui non convenit adeo ab ea arctari, ut ne debitum quidem vitæ habeat subsidium *l.* 1. *§.* 7. *C. d. rei uxor. act. l.* 17. *ff. d. re jud. §.* 37. *Inst. d. act.* Quid si Uxor alio ex contractu agat? Videndum est an contractus constante matrimonio sit initus, an vero divortio facto: nam si matrimonio adhuc constante sit initus, gaudebit hoc beneficio *l.* 20. *ff. d. re jud.* add. *Duar. ad. l.* 12. *ff. sol. mat.* Secus divortio facto per *l.* 35. *ff. d. neg. gest.* ubi actio negotiorum gestorum in solidum datur contra quondam maritum, ex negotiis post divortium gestis; ratio quia vinculum matrimonii est causa hujus beneficii, quod non potest operari cum extinctum est. Sic *& in l.* 3. *ff. rer. amot.* maritus earum rerum nomine, quas constante matrimonio amovit actione rerum amotarum tenetur: divortio facto, furti. Gaudebit amplius hoc beneficio maritus, si divortio facto veterem contractum confirmaverit, ut si constituat id, quod ante contraxerat per *l.* 3. *ff. d. const. pec.* ratio autem hæc reddi potest, quod uniuscujusque negotii initium est spectandum *l.* 8. *ff. Mandati.* Id autem cum accidit, maritus hoc beneficio gaudebat, & quod in simili casu dicit Jurisconsultus *l.* 33. *d. donation. causam & originem constitutæ pecuniæ non judicii potestatem prævalere placuit.*

Marito putativo hoc jus non tribui, communis *DD.* est sententia vid. *Fach. lib.* 10. *cont. cap.* 30.

Quæ de marito dicta sunt in *Uxore* æqua lance snnt observanda *l.* 17. §. 1. *ff. solut. matr. l.* 20. *in fine ff. d. re judicata.*

Sicut autem marito, ita & *socero* hoc jus tribuitur *l.* 21. *ff. d.* *re jud.*

re jud. Socer enim parentis locum obtinet, adeoque idem ei honos habendus *l. 16. ff. solut. matr.* nec distinguitur sit ne socer Uxoris, an mariti, cur enim utriusque soceri impar jus esset, si par sit viri & Uxoris? Quid si pater mulieris promisit dotem genero pro filia, & pactum de ea lucranda fecit, si sc. filia decedat in matrimonio, numquid hoc in casu socero competat hoc beneficium? Distinguimus, aut gener agit ad hanc dotem matrimonio adhuc constante; aut eo soluto: si matrimonio adhuc constante agat, utique socero erit succurrendum *l. 84. ff. d. jure dot.* Si vero agat soluto matrimonio, videndum est an socer decepit generum sciens se non esse solvendo, an vero bona fide egerit, posteriori casu socero erit succurrendum, priori non item *d. l. 84. de jure dot. Duar. ad l. 17. ff. solut. matr.*

Competit & *sociis*, quoniam inter hos consistit quoddam fraternitatis jus, quod non fert rigidam & incivilem alterius ~~ab alterius~~ ab altero exactionem *l. 63. ff. pro socio l. 16. d. re jud.* eleganter *Marquard. Freher. 1. parerg. 5.* ideo esse speciem fraternitatis, quia quod fratribus dat successio paterna, & bonorum collatio, id sociis voluntas & contractus, dum sponte sua communicantes, se sibi invicem in fratrum loco adsciscunt: notandum autem est, quod socius omnium bonorum indistincte, & in omnibus casibus hoc jure fruatur *d. l. 16. d. re jud.* Particulares vero socii, quoties ex causa societatis agatur *l. 63. pro soc.*, & hac ratione si *d. l. 16.* capiamus de iis sociis, qui semper gaudent hoc privilegio, & quod hoc respectu recte id negatur de socio particulari, quia ille non semper hoc habet, opus non erit, ut vel *d. l. 16.* corrigamus, vel *ἀντινομίαν* inter illam *& d. l. 63.* statuamus, quorum posterius vix credibile, cum utraque lex sit ejusdem auctoris sc. Ulpiani.

Conceditur *& patrono, patronæ, eorumque liberis, & parentibus l. 17. ff. d. re jud.* Reverentia enim, ob inæstimabile illud libertatis beneficium, his personis debita, non fert incivilem excussionem: esset enim indecens, ut quos reverentia prosequi tenemur, eos egere sinamus, & victu necessario spoliemus: quod tantum abest, ut permittatur, ut contra libertus egentem patronum cogatur alere *l. 5. d. agnosc. & alend. lib.* Multo ergo minus

nus

nus auferre ei debet, quæ adhuc possidet. Quid si patronus amiserit jus patronatus? videndum est quomodo illud amiserit, nam si sponte illud remiserit, reverentia nihilominus ei debetur *l. 3. C. d. bon. lib.* Quare beneficium, quod ei competit ob reverentiam, non videtur ei adimendum esse; si vero ob maleficium vel culpam suam privatus sit jure patronatus, cessabit beneficium *d. l. 3. inf.*

Item *Ei qui ex donatione se obligavit* ex rescripto Divi Pii tribuitur hoc beneficium *l. 12. ff. d. donat. l. 19. §. 1. ff. d. re jud.* Invicile enim esset illeberaliter & avare cum eo agi, qui vere liberalis fuit. Utitur autem suo beneficio solummodo contra donatarium non contra alios, licet nomine donatarii, id promiserit, v. c. donare volebas Sempronio centum, qui tantundem Titio debebat, à quo cum liberari cupiebat Sempronius, petiit, ut patereris te delegari Titio creditori, hoc in casu in solidum venit condemnandus donator per *l. 41. d. re jud. l. pen. ff. d. novat.* Quid si quis donaturus mulieri, marito ejus dotem promisit, & sic donator marito sit delegatus? hanc in solidum à donatore exigere poterit maritus, tanquam creditor negotium suum gerens, nam cum dos diserte contemplatione mulieris fuerit promissa marito, & ad sustinenda onera matrimonii, atque ita ex causa onerosa jus ipsi sit adquisitum *l. 19. d. oblig. & act.* Non potest maritus hic considerari tanquam donatarius: non est ergo mirum ut is à quo illa exigitur, non utatur hoc beneficio quod donatori est concessum *l. 84. de jure dot.* hæc ita si certa summa promissa sit, nam si ita spondeo, me tibi daturum quod illi ex causa donationis debeo, aliter sese res haberet, nam effectu inspecto tunc non plus debet, quam facere potest *l. 32. ff. solut. matr. Duar. ad l. 41. ff. d. re jud.*

Milites etiam armatæ militiæ hoc privilegium habent *l. 6. ff. d. re judic. l. 18. eodem.* quod *Covarr. lib. 2. var. res. Cap. 1. & alii,* ad advocatos, doctores, & nobiles extendere volunt, quod sine lege non ausim: *nam cum non lege agimus erubescimus n. 18. cap. 5.* dictæ enim legis verba *qui sub armata militia* hos excludunt. Ratio & causa etiam plane diversa, etsi enim & advocati similesque alii militent *l. 14. C. d. advoc. divers. jud.* longe tamen alia est togata hæc, quam armata militia: armati enim

mi-

milites vitam & ſanguinem pro reip. ſalute profundentes plus in illam conferunt, & preterea armis occupati rei familiaris curam abjiciant neceſſe eſt. Advocati contra rem ſuam bene gerere edocti, quod ſi non bene gerant auxilio indigni ſunt. Denique etſi par utrorumque eſſet ratio, jus ſingulare non eſt protrahendum *l.* 18. *ff. d. re jud. l.* 1. *ff. d. offic. ejus cui mand. l.* 6. §. 1. *d. interd. & releg. l.* 14. *ff. de legib.*

Competit & hoc beneficium *Ei qui bonis ceſſit* §. *ult. Inſt. d. act.* ſi poſtea rurſus conveniatur; quod fieri poteſt, ceſſio enim à carcere debitorem liberat, obligationem vero minime tollit; & proin, ſi poſtea aliquid acquiſierit quod idoneum emolumentum habeat, ex integro creditores experiuntur *d. l. ult.* at tantum in id quod facere poteſt; *inhumanum enim erat ſpoliatum fortunis ſuis in ſolidum damnari d.* §. *ult.* Non vero datur hoc jus ei, qui cedit, nam dum cedit bonis nihil ipſi relinquitur, ſed ut loquuntur ceſſio fit uſque ad peram & ſacculum, nec quicquam ei relinquitur præter veſtem pannicularem, qua corpus tegat, vid. *Coler. d. proceſſ. execut. cap.* 6. *n.* 111. *Gomeſ.* 2. *var. reſ.* 11. *n.* 51.

Gaudet & hoc bene ficio *Emancipatus, & exheredatus, quive paterna hæreditate abſtinuit, aut in modica parte eſt inſtitutus, vel ſi coactus immiſcuerit ſe, ut hereditatem reſtitueret, cum convenitur de negotio dum in poteſtate eſſet inito l.* 2. *&* 4. *ff. quod cum eo qui l.* 5. §. 2. *inf. eodem* ratio hæc reddi poteſt, ne nimis gravetur ex eo contractu unde nullum vel minimum emolumentum percepit. Non gaudet autem hoc beneficio contra eos, quibuſcum jam ſui juris factus contractum iniverat, licet ea tantum poſſideat, quæ vi hujus beneficii ſervavit, quia hic ratio beneficii ceſſat.

Cavere autem debent perſonæ prædictæ nuda promiſſione actoribus de integra ſolutione facienda ubi ad meliorem fortunam pervenerint *l. unic.* §. 7. *C. de rei uxor. act. l.* 63. §. 4. *ff. pro ſocio.* Sciendum autem eſt hæredibus harum perſonarum illud beneficium non competere *l.* 25. *ff. d. re jud. l.* 12. *ff. ſolut. matr.* Eſt enim perſonale, & cum perſona extinguitur: regula enim quod heredes repreſentant defunctum, & cum eo pro una eademque perſona habeantur, huc non pertinet, quippe quæ

pro

procedit in juribus, actionibus, aliisque quæ jure communi, non vero speciali privilegio conceduntur. Posset videri exceptio esse in filiis ex eodem matrimonio procreatis, qui patri heredes extiterunt, in casu quo dos ab ipsis repetitur: verum his non qua heredibus, sed qua filiis hoc beneficium competit *l. 18 ff. solut. matr.* Illud quidem verum est, quod filiis non possit hoc beneficium competere nisi heredes sint, aliter enim de dote conveniri nequeunt: sed tamen inde non sequitur hoc privilegium dari iis, ut heredibus; verum iis ut filiis hoc deberi, satis superque modo posita dictant fundamenta *add. l. 12. ff. sol. matr.* Quod cum diserte expressum sit, mirandum est, non nullos adhuc dubitare, an id quoque de alterius matrimonii filiis accipiendum sit; lex enim tantum loquitur *de filiis ex eodem matrimonio procreatis*: & privilegiorum interpretatio semper stricta esse debet, nec facile produci ultra personas in lege nominatas. *fac. l. 16. ff. d. test. tut. l. 8. ff. d. excus. tut. §. ult. Inst. qui test. tut. dari pos.*

Ex antedictis colligi potest ne fidejussoribus quidem personarum prædictarum hoc beneficium competere ob rationem modo allatam, quod personale sit hoc beneficium & ad alios non extendatur *l. 7. ff. de except. l. 24. ff. d. re jud.* Fidejussor enim suo nomine ex obligatione, quam ipse contraxit, convenitur, ac solidum solvere promisit, & idcirco solidum ab eo exigitur: Male autem *Bart. & DD.* vulgo volunt hanc exceptionem personalem ita prodesse fidejussori, si desideret reum principalem judicium subire per *l. 10. §. Pen. ff. Mand.* Nam *d. §.* loquitur de exceptione causæ cohærente qua & fidejussor uti potest: personali vero ut hæc est, uti nequit *l. 7. de Except.* Alia autem causa est defensoris, defensor enim se dominum defensurum promittens, eadem actione, qua dominus, convenitur; ac proinde quasi ejus loco surrogatus eodem venit modo condemnandus, *l. 51. §. 1. ff. d. procurat. l. 14. ff. sol. matr.* Hæc ita si vivo domino condemnatio fiat; nam si eo mortuo, in solidum est damnandus *l. 23. ff. d. re jud. Duaren. ad l. 23. d. re jud.*

 CA-

CAPUT III.

Diximus ante, his personis licere deducere tantum ne egeant, hinc dubitari posset, ex quibus rebus hæc deductio fieri debeat? Respondemus ex ipsius debitoris, non ex alienis, quod de donatore expresse cautum in *l. 41. §. 1. ff. d. re jud.* ubi actione reali conventus non juvatur hoc beneficio cum actione reali actor petit quod suum est, non quod sibi est debitum *l. 23. ff. d. rei vind.* habet & hoc locum in omnibus personis privilegiatis, cum nulli suum adimi, ut alteri tribuatur, conveniat *l. 2. ff. d. his qui sui vel alien. jur.* Habet autem hæc rei vindicatio locum si res soluta à persona privilegiata, ad eandem reversa fuerit, quo casu restitutio rei in solidum est facienda. In fructibus autem distinguimus utrum bona an mala fide res ad illas reversa sit, priori casu super restitutione rei insolidum quidem condemnandæ sunt una cum fructibus extantibus; de consumptis autem non tenentur *l. 41. ff. d. re judic. l. 22. C. d. re vind.* posteriori vero casu in solidum condemnandæ sunt super restitutione rei cum omnibus fructibus perceptis, consumtis, vel extantibus l. 22. *C. d. rei vind.* Si autem dolo possidere desierint contra eos in litem juratur *d. l. 41. §. 1. add. l. 68. ff. d. rei vindicat.* alios casus, quibus rei vindicatio hæc datur, vid. in *l. 28. C. d. donat. l. 18. p. ff. de acq. vel amitt. possess.* Quid si uxor soluto matrimonio actione reali petat rem in dotem datam? videndum est an maritus rem dotalem solverit uxori, eaque postea ad eum pervenit, an vero nondum tradiderit: priori casu insolidum venit condemnandus, ut quivis possessor, posteriori vero tantum in id quod facere potest, cum jam etsi possessor sit, tamen non conveniatur, ut possessor, sed ut maritus, ita *Bart. & DD.* vulgo distinguunt.

CAPUT IV.

Videndum etiam est, an qui hoc jure fruuntur æs ælienum deducere possint? ita dicendum videbatur, quoniam imperator Justinianus *in §. 37. Inst. d. act.* sic interpretatur *quate-*

mus facultates patiuntur, facultates enim bona designant *l.* 16. *pr. ff. ad Senat. Treb.*, bona autem intelliguntur, quæ deducto ære alieno supersunt *l.* 39. §. 1. *ff. d. verb. signif.* Sed contrarium in *l.* 16. *l.* 19. §. 1. *d. re jud. & in l.* 49. *eodem l.* 54. *ff. solut. matr.* decisum est. Excipiendus est donator *l.* 19. §. 1. *ff. d. re jud.* cui permissum est ea deducere, quæ aliis creditoribus debet *l.* 12. *ff. de donat. l.* 54. *solut. matr.* pinguius enim donatori succurrendum est *l.* 49. *ff. d. re jud.* Ea vero, de quibus ex eadem causa, donationis videlicet, aliis obstrictus est, non debebit deducere: sed donatarii occupantis melior erit conditio *d. l.* 12. *ff. d. donat.* Male autem quidam volunt nec hæc deducenda, quæ reus ex aliquo contractu debet iis, contra quos se exceptione hac tueri potest, v. c. si donaverim tibi ingentem summam, debeam vero ex alia causa pecuniam liberis & uxori, jam volunt quod si tu me convenias non possim deducere, quæ liberis, uxorive debeo, quia me hac exceptione contra illos tueri possim: sed ita non nisi absurdissime poterimus explicare verba *l.* 12. *ff. d. donat. & l.* 19. *ff. d. re jud.* Ubi dicitur *quæ ex eadem, vel simili causa debentur non esse deducenda*, quæ verba non alium patiuntur sensum, quam non deduci ea, quæ aliis pariter ex causa donationis debentur: non vero hunc quem illi volunt, sc. id non deduci posse quod debetur personis aliis, quibus pariter hujus beneficii exceptio possit opponi: hoc enim si voluissent *JCti*, non dixissent: *quæ ex eadem, vel simili causa debentur*; sed, quibus eodem modo donator tenetur, videlicet non in solidum: vel alio simili loquendi modo, non vero hoc quo usi fuerunt, id expressissent. Ad quorum confirmationem possit addi, quod nominatim docet *Jurisconsultus* in *d. l.* 12., detrahenda ea quæ *creditoribus* debentur, illis videlicet, qui de damno rei amittendæ agunt, quales & liberos esse certissimum est: licet solidum non exigant. Is vero, cui liberalis promissio facta est, non ita verus creditor est *l.* 49. *in fin. ff. d. re jud.* quam ob rem donatarius nihil consecuturus erit, nisi & hi creditores dimissi sint vid. *Ravard. ad l.* 28. *d. reg. jur.* Iniquum enim esset causam lucrativam potiorem esse onerosa, & sola præventione donatarii captiosa excludi eos, qui de damno sunt soliciti. Accedit quod in præjudicium credito-

 ris

ris liberalitas debitoris vergere non debet, ſed de ſuo quemque largiri oportet.

CAPUT V.

Rei autem judicatæ tempore judex æſtimabit, utrum reus in ſolidum ſolvere poſſit, an vero ſecus: non autem litis conteſtatæ, quoniam ad agendum, actionemve inſtituendam, nihil intereſt, utrum reus facere poſſit, an vero non, ſed adminuendam exactionem, ſententiæque executionem moderandam *l. 15. ff. ſol. matr. l. 63. §. 6. ff. pro ſoc.* Proinde ſi rei judicatæ tempore ſolidum ſolvere poſſit, in ſolidum erit condemnandus, licet litis conteſtatæ, non potuerit: contra vero ſi tempore litis conteſtatæ facere potuerit, & ante ſententiam deſierit poſſe facere, non condemnabitur ultra quam facere poteſt *l. 41. §. ult. ff. d. re judic.* Si autem poſt ſententiam facultates ejus auctæ ſint, ita ut ſolidum ſolvere queat, cum judicati agitur, ſolidum actione iudicati exigi nequit, ſed novo opus eſt judicio *l. unic. §. 7. C. d. rei uxor. act. l. 8. C. ſolut. matr.* Si è diverſo poſt ſententiam facultates ſint diminutæ, ſic ut executionis tempore ſolidum ſolvere nequeat poterit nihilominus & tum hanc exceptionem opponere *l. 41. §. ult. ff. d. re jud. l. 33. d. donat.* vid. Jaſonem ad *§. ſed & ſi quis Inſt. d. act.* qui notat omnem exceptionem, quæ non impugnat ſententiam, poſſe opponi etiam poſt ſententiam, quæ tranſivit in rem judicatam. add. *Zanger. tract. d. except. cap. 26. part. 3. n. 96. & l. 1. C. d. juris & fact. ignor. l. 41. §. 1. ff. d. fidejuſſ.*

CAPUT VI.

Accidit non raro, ut hoc privilegium non detur iis, quos modo enumeravimus, nam qui ex maleficio dolove conveniuntur, fruſtra id prætendent *l. 22. §. ult. d. re jud.* Item ſi

dolo

fecerint quo minus facere possint *l.* 51. & 52. *ff. d. re jud. l.* 18. *§.* 1. *ff. solut. matr.* Dolo autem etiam videtur facere, qui subornat aliquos, qui mentiantur sibi deberi, & patitur se ab iis vinci *d. l.* 51. *l.* 63. *§.* 7. *ff. pro soc. l. unic.* C. *d. rei ux. act.* Excipiendi videntur parentes, patroni, eorumque liberi, ac parentes *tot. tit. ff. d. obseq. par. & patr. præstand.* Cessat etiam hoc beneficium, si actores sint inopes, ut, si reis hoc beneficio consuleretur, ipsi fame perirent, quoniam tunc in pari causa potior esset actor, quem durum foret fame necari, aliosque ali de ipsius bonis *arg. l.* 2. C. *d. alend. lib. l.* 5. *§. pen. ff. de agnos. lib. l.* 6. C. *de servit. l.* 12. C. *qui pot. in pignor. add.* Duar. *ad l.* 12. *ff. solut. matr.* Cessat etiam si debitores sciant sufficiens aliquod artificium, vel enutrire commode se possint negotiatione aliqua, nam inde percipere possunt unde vivant arg. *l.* 5. *§.* 7. *d. agnos. & alend. lib.* vid. *Zas. ad l.* 12. *n.* 17. *solut. matr.* Quibus tamen in rebus multum arbitrio judicis tribuendum erit *l.* 22. *§.* 1. *ff. d. re jud.* Cessat etiam si solidum debitores solverint, nam ex privilegio superfluum repetere non possunt *l.* 8. & 9. *de cond. indeb.* Excogitari forte possent & alii casus, quibus privilegium hoc cessat, qui tamen ex iis, quæ diximus, non difficulter poterunt colligi. Ideoque hic esto

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

An filiusf. poteſt renunciare Senatuſconſulto Macedonia-no? Neg.

II.

An quivis donator omnium vel magnæ partis ſuorum bo-norum donationem revocare poteſt ob ſupervenientiam liberorum juxta l. 8. C. d. rev. donat.? Neg.

III.

Periculum rei venditæ emtione perfecta ad emtorem per-tinet.

IV.

Beneficium l. 2. C. d. reſc. vend. an prodeſt ei, qui ve-rum pretium non ignoravit? Neg.

V.

An reſtituta re vendita per beneficium d. l. 2. pignus ab emtore in ea re conſtitutum extinguitur? Neg.

VI.

An beneficium d. l. 2. locum habet in tranſactione? Neg.

FINIS.

TER EEREN

Des Hoog-geleerden en Regt-wijſen Heer

JOHAN van OVERMEER,

Sijnde, nae de gewoonlijcke wet en reedekaveling, der Beyder Regten Meeſter beveſtigt, In de Wijdberoemde Hooge Schoole van Leyden.

Soo wie oit heeft geſtelt ſijn ſinnen op de boecken,
Of op regskundigheyd, die al des werels hoecken
Beſtieren moet met regt, voorſigtig nae den eys,
Sijt gy het, waerden Heer, die nu ook deſe reys
Getoont hebt, dat in u het regt altijd ſal bloejen,
Jae daeg'lijks meer en meer in u gemoed ſal groejen:
Getoont hebt, hoe gy ſijt ontrent een goede vrind;
Getoont hebt met u hert, hoe dat gy waerd geſind
De Vaederlijcken Eer met regten te verweeren
En al het ongelijck van haeren hals te keeren.
Door dien gy met u tong verdedigden dat geen,
Het welk men ſchuldig is aen Ouders, in t' gemeen
Aen maeg en bloedverwand, die als ſy ſchulden maecken
By vrinden, nae de wet, niet uit haer goed geraecken
Daer van, ſeer wijſen Heer, hebt gy ſoo braef getwiſt,
Dat u hier niemand kon bedriegen met ſijn liſt.
Waer door gy met veel roems dan prieſter ſijt gekooren
Der beyder Regten, daer gy lange van te vooren
Soo loffelijck nae hebt gedorſt, geſnackt, gehaeckt,
Dat word gy ſeg ick nog, tans heeden eens gemaeckt.
Nu hoord men alleſins van uwe wijsheyd ſpreecken,
Door dien gy hebt getoont u wijsheyds groote teeken;
Nu ſiet oock yder een, mijn Heer van Overmeer
B'ekleen de waere trap jae regte ſtoel van eer.

voluiſſe ſat eſt,

G. vander MEER, H.F.

AEN DEN SELVEN

Nu is de Jeught vol Endt
In Pallas Groote School:
En ſigh ten Hoove wendt
Voor 't groote Capitool.

Tot Reght in Reghte Saak
Om 't Reght te Defendere:
O! Pleyt Banck die geen wraak
Maar Onreght ſoekt te weere.

Geluckigh Stam en Soon
O Vaders Eenigh Spruyt:
Verwinnaar vande Kroon
Veel Segen Heyl U Wenſch En daar Me
Ick 't Beſluyt.

A. DOUDE.